

~~GA 2~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-44.

SIGNAT. clisioCCCCXIII.

Constat



6

ORATIO
DE
NECESSARIIS
BELLI REQVI-
SITIS.

In
Incluta Noricorum Universitate
Aldorphina

Publicè habita

à
JOHANNE CHRISTIANO
à Döblau.

Ad diem 22. Februar.

ANNO CHRISTI

MD CXXXII.

Thucydides libr. 2.

*Stultum est, movere bellum, si florente statu licet retinere pacem. Sin
autem necesse est aut cedentes imperata facere, aut pericula adire liberta-
tis retinende causa; magis reprehendendus est is, qui fugit pericula, quam
qui sustinet.*

BS(O)S

ALTDORPHI,

Typis BALTHASARIS SCHERFFII,
Universitatis Typographi.

SERENISSIMO AC POTENTIS-
SIMO PRINCIPI AC DOMINO
D N.

CHRISTIANO

Marchioni Brandenburgensi, Borussia, Ste-
tinsium, Pomerania, Cassubiorum, Van-
dalorum & in Silesia Crosnensium, Jägern-
dorffij &c, Duci, Burggravio No-
rimbergensi & Principi
Rugia &c.

DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

In

*Debita subjectionis declarationem, suiq̄ humilimano
commendationem*

Offert & Dedicat

JOHANNES CHRISTIANUS
à Dölan.



ORATIO.



DE Carolo Magno Imperatore gloriosissimo PRO-RECTOR Magnifice, Viri Reverendi, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi; Tuq; Nobilissima & florentissima Palladia Cohors; De Carolo Magno, inquam, Historiarum referunt monumenta, illum postquam Saxones sæpius tumultuantes ingenti virtute fregisset, & domitis Longobardis Romanum Præsidem in tuto collocasset, postea Imperator factus milites suos tantorum periculorum laborumq; socios, ut gratitudinem ergò eos augusta beneficentia & liberalitate testaretur, hunc in modum compellasse: *Ite milites mei; Vos heroës vocabimini, socij Regum & iudices criminum. Vi-*

A 2

vite

vite post hac laboris expertes, consulite regibus, & publico munere, turpia corrigite, favete faminis, juvate pupillos, consilio circumdate Principes: Ab his victum, vestitum, stipendium petite, si quis negaverit in glorius infamisq; esto, si quis injuriam vobis intulerit, reum se majestatis meae agnoscat.

Magnum profecto, sed magno Principe & Monarchâ dignum, fideisq; militibus minimè indebitum præmium. Agnovit certè sapientissimus Imperator, illos, quos periculorum molestiarum laborum & vigiliarum socios habuerat, honorum quoq; & præmiorum splendidissimorum fieri debere participes. Agnoverunt hoc ipsum alii belli artibus clarissimi Duces, in quorum laudes nunc excurrerem, si mei esset instituti. Vel fidos & fortes milites, quibus nunc Germaniâ non prorsus destituitur, digno encomio condecorare. Fecerunt hoc alii, ingenio & eloquentiâ præstantissimi, & ita fecerunt, ut militibus vera laus non detracta, nec falsa afficta videri debeat. Mihi verò nunc propositum est, Auditores honoratissimi, de præcipuis belli requisitis, ut mea fert tenuitas,

tenuitas, stilo & filo tenui, rudiq; Minervâ
attingere, & libare potius quàm perorare.
Antequam verò Cymbam Orationis meæ
in altum proveham, Vos Auditores omni-
um Ordinum præstantissimi, atq; honora-
tissimi, qui antehac melioris Suadæ candi-
datis feriatas aurium vestrarum ædes com-
modastis, ut cursum Orationis meæ etiam
vestri favoris Zephyro affletis, benevolen-
tiâ confirmetis, assensu & iudicio sustentetis,
quanta possum animi contentione rogo,
oro, & obtestor. Atq; ut hinc exordiar, ne-
minem in florentissimis Politicorum viri
dariis adeò hospitem ac peregrinum esse
arbitror, qui nesciat, nihil majus periculo-
siusvè esse, quam bellum suscipere & subdi-
tos eorumq; bona fortunæ favori planè
committere: Nam *Fortuna belli semper ancipiti in*
loco est. Et omne bellum sumi facile, cæterum agerrimè desi-
nere, nec in ejusdem potestate initium & finem esse certissimū est.

Senec.
Thebai.

Sallust.

Iug.

Quare causæ bellorum ante belli susce-
ptionem probè cognoscendæ atq; delibe-

A 3

randæ

randæ sunt, ut intelligatur satisne pium, tu-
tum gloriosumq; an indecorum sit quod
quæritur.

Quenam vero pro justis habeantur cau-
sis, id ex Politicorum monumentis satis ap-
paret. Inter illas autem censenda est Religio,
quam contra illos, qui eam violenter corrū-
pere, populumq; ad fidei veræ abnegatio-
nem, atq; ad illicitos cultus cogere conantur
propugnare, omni jure licitum est & con-

Lib. 3.
Epist. cessum. *Tunc enim (inquit Cassiodorus)*
solum utile est ad arma concurrere; cum locum apud hostes inve-
nire non potest justitia. Et quemadmodum (teste Thucy-

Lib. 1. *dide) modestia est quiescere, si non afficiaris injuria, Ita justi-*
tia est, cum injuria afficimur bellum paci antepone.

Cum etiam omnium mortalium con-
sensu justa belli causa sit, armis focos libe-
ros ac conjuges tueri; multò magis Patria, si
ab exteris nullis injuriis provocatis invadi-
tur & devastatur, est defendenda.

Lib. 4. ad
Heren. *Quoniam enim teste Tullio omnia commoda sunt à Pa-*
tria accepta: nullum profecto incommodum pro Patria grave
putandum est. Atqui patriæ pericula suo periculo expetunt:
hi sapientes putandi sunt: cum & eum, quem debent, honorem
Reipus.

Reipublica reddunt : & pro multis perire malunt , quam cum multis. Etenim vehementer est iniquum , vitam , quam à natura acceptam propter Patriam conservaveris , Natura cum cogat reddere ; Patria cum rogat , non dare : & cum possis cum summa virtute & honore pro Patria interire , malle per dedecus & ignaviam vivere : & cum pro amicis , & Parentibus & cæteris necessariis adire periculum velis , pro Republica , in qua & hoc illud sanctissimum nomen Patriæ continetur , nolle in discrimen venire.

Pro libertate deniq; retinenda vel recuperanda cum sanguinis & vitæ dispendio etiam dimicandum est. Nam quia, ut Livi⁹ ait, *libertas ipsa satis habet dulcedinis : ideò libertatem nemo bonus, nisi cum anima simul amittit. Omnes siquidem homines natura libertati student : & conditionem servitutis oderunt.* quippe quæ postremum est malorum omnium : ac proindè non modo bello , sed morte etiam repellendum.

Sine jam dictis causis Romanos nulla bella suscepisse Varro refert. Sic nempe Cn. Marcius Coriolanus teste, Dionysio, cum ad Volscos non solum virtutem, sed etiam religionem & æquitatem deportasset, licet justo in Romanos odio arderet ; ante tamen justam honestamq; belli causam quærendam.

Lib. 2.

Dec. 1.

Sallust. de
conjurat.

Catilin.

Cæsar. lib.

3. de bell.

hall.

Lib. 11. de

Vita Popo

Rom.

Lib. 8.

Lib. 10.
Dec. 3.

dam censuit. Et Scipio apud Livium ad An-
nibalem inquit : *Neq̄ patres nostri priores de Sicilia,
neq̄ nos de Hispania, fecimus bellum : Et tunc Mamertinorum
sociorum periculum, & nunc Sagunti excidium, nobis pia atq̄
justa induerunt arma : vos laceffisse, & tu ipse fateris, & Dij
testes sunt ; qui & illius belli exitum secundum jus fasq̄ dede-
runt, & hujus dant & dabunt.*

Contrâ vero bella sine causis justis mota
& suscepta, quibus non quæritur conserva-
tio ac defensio religionis, legum judicio-
rum, disciplinæ sed injusta oppressio alio-
rum, ac amplificatio potentia privatae tri-
stos ac tragicos exitus habere exempla in-
numera docent.

Equorum numero prodeat Xerxes cupi-
dus gloriae & instructus exercitu, cum habe-
ret incitatore mardonium Græcis bellum
inferebat. Sed belli non necessarij hic erat
exitus : ut Xerxes post pugnam Salaminiam
naufragio fugiens in Asiam rediret : ubi pro-
pter incestas libidines & crudelitatem ab Ar-
tabano patruo interficiebatur.

Sic

Sic Antiochus Magnus, cum & magnam
Græciæ partem sibi adjunxisset, ingens bel- <sup>Liv. lib. 6.
& 7.</sup>
lum adversus Romanos movit : propter <sup>Dec. 4.
Just. lib. 31</sup>
quod & Annibal ad eum profectus est. Sed
tandem Romani, cum multis magnisq; præ-
liis eum vicissent, pacem petere coegerunt :
Eiq; florentissimam regni partem, ab Jonia
usq; ad Taurum montem ademerunt.

Postea hic Antiochus, cum in Syria spo-
liaret templum Beli, interfectus est à multi-
tudine, quæ casu ad defensionem templi
concurrerat. Summè ergò cavendum est
Principibus, ne præcipiti aliquo affectu, aut
propriadū virium fiducia, aut ambitione bel-
la non necessaria moveant ; *Turpe enim est Viro* <sup>Dionys.
Halicar.
lib. 8.</sup>
*Principi, ob rerum alienarum cupiditatem bellum non necessari-
um sustinere : in quo se & omnes suas fortunas in periculum sit
adducturus.*

Quoniam Magistratus non sui sed Rei-
publicæ & subditorum causa est constitu-
tus : ideo quoq; publica utilitas & salus, uni-
cè ei propositus esse scopus debet : & suam
salutem salute communi posteriorē ducere ;

B

ac pro-

ac proinde tam bellum, quam pacem non
ad suam, sed ad Reipublicæ & subditorum
utilitatem dirigere eum decet. In quem sen-
sum & Ammianus Marcellinus scribit lib. 7.

*Hoc boni Principis menti, hoc successibus congruit prosperis: ut
integra omnium patrimonia labore & fortitudine sua servet.*
Et iterum lib. 27. *Pietatis ejus summum primumq; munus
est, Rempublicam ut domum paternam diligere.*

Post justam nunc belli causam, susceptio-
nemq; legitimam Principi prima cura & sol-
licitudo sit, ut Ducem exercitui præficiat.

Militaris enim turba sine duce est corpus sine spiritu.
Curt. lib. 10. Hinc rerum militarium periti in pugna
eam in curam incumbunt, ut hostium duces
vel capiantur, vel occidantur.

Agefilaus Spartanorum Rex, cum con-
tra Thebanos apud Mantinæam pugnan-
dum esset, suos admonuit, ut cæteris omissis
omnibus in unum Epaminondam Ducem
prælii vim intenderent: atq; ita victoriâ po-
titus est. Quænam vero virtutes in Duce re-
quirantur necessariò, hoc Politicorum mo-
numenta

numenta largè ostendunt. Primò rei militaris peritiâ, longo usu comparata, Ducem maxime esse instructum, summa necessitas postulat. Nulla enim re ad felicem victoriam ex præliis reportandam æque opus est, atq; bonis & peritis Ducibus. Numerosæ enim copiæ si nacti fuerint Duces imperandi minimè peritos nullum præclarum facinus edunt, & sæpissimè ipsæmet suarum cladum sunt autores, & tanto magis conflictantur, quanto major est earum numerus.

Xerxes persarum Rex potentissimus cum contra Græcos expeditionem institueret, regnum habuit florentissimum : centum ac viginti provinciis constans : in castris decies septies centena militum millia. At quid numerosissimo hoc exercitu effecit ? Rei militaris ignarus, amissis suis, fuga longè turpissima sibi consuluit : domum scapha reversus, à non alienis, sed à suis miserè trucidatus fuit.

Quanta Cannensis illa clades extitit in

B 2

qua

Liv. lib. 2.
Dec. 7. qua ultra quin quaginta Romanorum millia
uno in prælio ceciderunt? Verum hoc ipsum
cui quæso, acceptum referemus? nulli pro-
fectò, politicè loquendo, nisi Ducum Publici
Æmilii ac Varronis imperitiæ.

Deinde, maximè interest, ut Dux ve-
rè magnanimus sit, inq; prælio se præsentem
Liv. lib. 7. exhibeat, militesq; ita alloquatur: *Facta non
dicta mea Vos milites sequi volo: nec disciplinam modo sed
exemplum etiam à me petere.* Ipsius enim Ducis stre-
nuitas & præsentia in periculo conspicua
milites plurimum animat & confirmat.

Francif. *Quilibet ante oculos sui ducis ardentius dimicat: & opera vir-
Patr. de Re tutis fortius ac diligentius exhibet, moriq; quam aliqua ex
pub. lib. 9. parte de gradu cedere mavult.*

Part. 3. lib.
3. cap. 8.
p. 672. In Historia Ecclesiastica quam triparti-
tam vocant, refertur de quorundam Bri-
tannorum Rege, qui Anno Christi 467. in
prælio contra Saxones, cum videret suo-
rum aciem inclinatam, & victoriam ad ho-
stes propendere: ipse licet ægrotus & ferè
semimortuus lectica in locum pugnae se de-
ferri iussit: quod quidem ipsius factum ho-
stibus

stibus fuit risui & ludibrio: nimirum semimortuum in pugnam descendere: Suis vero animum addidit, ut majori virtute & alacritate pugnarent: & cæsis hostium ducibus victoria insigni potirentur. Lætus ob hoc successus Rex quasi jam pristinam recuperasset valetudinem, erigens sese dixisse fertur: *Isti Ambrones me semimortuum putarunt: Sed malo semimortuus vincere: quam benè & rectè valens vinci: Præstat enim honestè mori, quam cum dedecore vivere.*

Sic feliciter pugnatum est ab exercitu Ordinum ad Novioportum in Flandria. Quia enim ipse generosus & bellicosus Mauritius Comes Nassovius in conflictu præsens erat, & milites ad constantiam & fortitudinem strenuè adhortabatur, & præibat in pugna, hinc factum est ut victoria à partibus Illustrium Ordinum Dei beneficio steterit. Cæsi in Hispanico exercitu ad sex millia militum. Captus est in pugna Admiralis Aragoniæ, & cum per annum ferè in Hollandia captivus detentus esset, tandem dimissus

fuit hisce conditionibus, ut omnes ex Belgicis Provinciis apud hostes capti loco illius liberi absq; omni lytro dimitterentur, tam ij qui Belgii unitis provinciis, quam qui in Hispania, aliisvè Regis illius Provinciis in vinculis vel triremibus capti detinebantur. In hac pugna supra centum vexilla hostium Hagam allata, una cum mille captivis annales Belgici memorant.

Breviter, hoc agat, ut favorem militum (authoritate tamen illæsa) probè sibi conciliet. Eo enim pacto & tutiores sunt ipsi, nullaq; vox jucundior in exercitu, atq; in omni re militari auditur, quam cum Dux cunctos in bello blando verbo Commilitones appellat.

Hac benevolentia Julius Cæsar, & toga & sago celebratissimus, milites suos complexus est, eosq; honore præmiis, atq; omni liberalitatis genere adeò affecit, ut omnes intelligere potuerint, se divitias non voluptatis aut amplitudinis gratia bello cu-
mulare

mulare velle: sed ut illis uteretur ad commu-
nem militum utilitatem, & ad præmia viro-
rum fortium. Imò eos tanta pietate profe-
cutus fuit: ut audita clade Tituriana bar-
bam submiserit, & capillum nec ante
dempferit: quam illam atrociter vindi-
casset.

Porro in omnibus rebus Dux providen-
tiam adhibeat, *Nulloq; loco nisi quantum necessitas co-* Liv. lib. 22
gat, se committat fortuna, sed illud potius observet,
quod Cæsar Augustus dixit. *Prælium aut bellum*
nunquam est suscipiendum, nisi cum major emolumentis spes, Sueton.
quàm damni metus ostenderetur. Temeritas enim præter- cap. 25.
quam quod stultæ est, etiam infelix, & temerè in acie versari, Liv. lib. 22
& manu cum hoste configere, immane quoddam & belluarum Cic. lib. 1.
simile est. Ita Marcus Ruffus Adolescens te- de Offic.
merarius Rempublicam Romanam insigni
clade affecturus fuisset, nisi senilis ac verè
prudens Quinti Fabii Dictatoris opem mo-
ra & cunctatio tulisset.

Sic Antigonus cum audivisset filium ab
hostibus confectum esse, nihil aliud dixit,
quam
Erasm. in
Declam.
de morte.

quam serò nimis interiisti, mi fili, qui tam temerè in hostes te conjeceris, neq; tuæ salutis, nec meorum monitorum memor. Deniq; successu & felicitate opus est Duci: *Ea n. est comes serè consilij & rationis, resq; magnas & mirabiles efficere potest.* Testis est Epaminondas cujus singulari felicitate & virtute ex infimis incrementis Thebarum civitas ad spem imperii Græciæ erecta est. Sed postquam ille decessisset, vires quoq; Reipubl. cum illo conciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris: Sic illo velut mucrone teli sublato rei quoq; publicæ vires hebetatæ sunt: ut non tam illum amisisse, quam cum illo interiisse omnes viderentur. Nam neq; hunc ante Ducem ullum memorabile bellum gesserunt: nec postea virtutibus sed cladibus insignes fuisse: ut manifestum sit Patriæ gloriam & natam & extinctam cum illo fuisse.

Ducem vero felicem maximè decet fortuna moderato animo uti, simulq; hostes neq;

nequaquam contemnere, quia *nusquam minus*
quàm in bello eventus respondent, historiaq; testantur quod sæpè Liv.lib. 30
hostis contemptus, cruentum certamen ediderit, & inclyti Liv.lib. 21
populi regesq; per levi momento victi sunt.

Hoc fatis experti fuerunt Cleon Dux
Atheniensium, & Antigonus, qui ita sprevit
copias hostium suorum, ut dixerit, se dissipa-
turum esse eos, tanquam agmen avium, quæ
Spermologi nominantur. Sed tandem in
acie multis vulneribus acceptis miserè ex-
tinctus fuit.

Postremò bona disciplina militaris Du-
ci fideliter commendata esse debet: hac
enim neglectâ res adversariorum augentur:
è manibus quasi effluunt victoriæ. Hinc
multis Imperatoribus castrorum disciplina,
liberorum disciplina charior extitit; non
solum in vitam & mores militum, verum
etiam Ducum accuratè inquisiverunt.

Prodeat in arenam Aurelianus Impera-
tor, qui aliquandò ad Vicarium vel Tribu-
num militum ita scripsit: *Si vis Tribunus esse, imò si*
vis vivere, manus militum contine; Nemo pullum alienum
rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auferat, segctem
C nemo

nemo detrahat, oleum, sal, lignum, nemo exigat, annona
sua contentus sit, de prada hostium, non de lachrymis Provin-
cialium habeat.

Non emanat Honorius & Theodo-
sius Imperatores laudatissimi, qui illud quod
ad conservandam militarem disciplinam, &
ad securitatem subditorum spectavit in
multis legibus diligenter sanciverunt.

Memorable est quod modo laudati
Imperatores ad Johannem Proconsulem re-
scripserunt: *Solam sanè hospitalitatem sub hac observa-
tione concedimus, ut nihil ab hoste, quod vel hominum vel
animalium pascuis necessarium creditur, postuletur: Omni-
umq; sit acceleratum iter, atq; continuum, nec illi liceat reside-
re, ne diuturnitas commorantium, ulla ex parte pradium ve-
set. Decem enim librarum auri multa ferietur, quisquis ad-
ministratores erogator, apparitorq; ullus, militaris scilicet, vel
iter agens, ullo in loco aliquid ab hoste postulaverit.*

Verum quid de fanioribus Ethnicis mul-
ta verba facio, cum Barbari, quorum no-
mine Turcas habemus in conservationem
disciplinæ militaris summam curam habue-
rint.

Testis est Nobilissimus Vir Melchior à
Seidlitz, qui in suo itinerario asserit, se vidisse
in ca-

in castris Turcici Imperatoris, tantam disciplinam modestiam & securitatem, ut in illis pagis omnes fructus, gallinæ & aliæ aves oves quoq; , atq; reliqua colonorum substantia univèrsa penitus manserint.

Porrò post Electionem Ducis periti de conscribendis militibus sedulo cogitandum est, Sicut enim Pastor sine grege, navi-
culator sine nautis; Ita & Dux sine militibus nihil efficere potest.

Cujus vero major sit usus vel peditum aut equitum, hoc conditio loci in quo bellum geritur, satis docet. *Utriusq;* inquit Tacitus: Lib. 1.
Hist.
Opus est, à quibus omne bellicis consiliis robur, & sine quibus quamvis egregia invalida sunt:

Ut enim in navalibus Pugnis in Urbium obsidionibus pedites commodum præstant. Ita & equites in campo ad consequendam victoriam, ad persequendos hostes, ad reddenda itinera secura plurimum prodesse possunt. In conscribendis etiam militibus,

Senec.
lib. 1. de
Clem.

domesticos exteris longè præferendos esse omnes, quod sciam, Politici affirmant. Domestici enim magis sunt fidi & obedientes, & amantiores Patriæ quam exteri; item in acie, in prima fronte concurrunt, & adversus vulneribus pectora ferunt, ne principis sui signa vertantur. Legendi quoq; ij maxime sunt, qui sanguine largo abundantes, non conspecto hoste arma abjiciunt, manus porrigunt: Sed strenuè fortiterq; pugnant: infractis excelsisq; animis cum colubinarum, smeriliorum, falconum tonitrua audiunt, musicam sese suavissimam audire opinantur: cumq; dignitate potius cadere, quàm cum ignominia fugere optimum pulcherrimumq; esse arbitrantur.

Nihil verò referre arbitror, opificesne, an rustici, nobili aut ignobili illi loco nati sint, cum non homines, sed hominum virtutes sint spectandæ, multosq; ex infimo loco natos virtute bellica ad summa honoris fastigia evectos fuisse historiæ passim testentur

Quis

Quis fuit Iphicrates, quem Artaxerxes Per-
sarum Rex bellum Ægyptiis illaturus, Du-
cem quæsit? Sutoris filius. Quis Themis-
tocles plurimis maximisque victoriis insi-
gnis? Obscurissimis certè parentibus ortus.
Quis C. Marius, qui septies Romæ consula-
tum, res in bello feliciter gessit? Fabri ferra-
rii filius. Ut vero milites officiis suis strenuè
satisfaciant, cæteræque expeditiones bellicæ
felici statu progrediantur pecunia haud exi-
gua opus est. Frustra enim Princeps de bello
cogitat si ea deficiat; *Bella siquidem non in armis* Thucyd.
maximè sunt, sed & in expensis & sumptibus, per quos efficacia lib. 1.
arma & utilia fiunt. Haud immeritò ergò bello-
rum nervi nummi appellati fuerunt, quibus
deficientibus ægrè cohærent, & difficulter
procedunt in acie phalanges. Excutiuntur
de manibus arma, aut remissè saltem & fri-
gidè tractantur; Hinc non modo ipsis Du-
cibus extremum imminet periculum; sed &
subditi omnes amici pariter & hostes rapi-
nis & cladibus expositi. Hinc tot tantæque

querelæ : leges silent : disciplina jacet , nul-
lusq; ordo, qui tamen belli & armorum fun-
damentum, servatur amplius : pro arbitrio
suo efferus & immanis rem gerit miles, & si
quæ sunt aliæ, quas hodieq; justus exprimit
dolor. Etenim milites stipendio debito non
accepto, nullis rebus magis student & in-
cumbunt, quam spoliis & direptionibus, in
quorum capita tandem recidunt diræ &
contemptus queis deprædatores istos nota-
vit Silius Poëta :

Nulla fides pietasq; Viris qui castra sequuntur.

Quod non audirent, qui sequuntur, si
rectâ via præirent Principes ipsi ; Quorû erat
prius ire in ærarium, quàm irrumpere in ar-
mamentarium : Quorum erat antequam
militem conscriberent, & copias lustrarent,
quantum in oculis suis accuratissimis com-
putare articulis.

Quod suo exemplo doctus probè intelle-
xit Landgravius ille bonus Princeps qui teste
Georg. Richtero, sæpissimè dicere solitus est:

Axiomat
Polit. 228

Quarta

Quam diu habui pecuniam, & militibus tempestivè persolvi stipendia, tam diu bonam disciplinam militarem in exercitu conservare potui; Sed si Duces non possunt solvere, in vitis quod dicitur, canibus ipsos venari, neq; disciplinam militarem strictè conservari posse quilibet vider.

Commeatum etiam cura in susceptione & felici continuatione belli minimè est abjicienda. Siquidem qui frumentum necessariumq; Veget. lib. 3. cap. 26. commeatum non habet vincitur sine ferro. Reliquis quidem casibus in tempore potest subveniri, Pabulatio verò & annona Idem lib. 3. cap. 3. in necessitate non habent remedium, nisi ante condita ad nutriendum exercitum vel ad praesidium & obsidionum moras sustinendas. Quod satis expertus est Cambyses, qui decimum quemq; militem fortiri necariq; in cibum iussit. Non Athenienses adduco, qui ad tantam inopiam in obsidione quadam à Demetrio Poliorcete redacti fuerunt, ut filius ob murem, qui fortè è tecto exanimis ceciderat, adversus patrem stricto gladio dimicavit.

Nec disciplina militaris ibi commodè servari potest, Calliod. 4. Var. 13. Lamprid. in Alex. ubi jejunus est miles. Quin & contra exercitus in illo defectu ad desperationem ductus vendendi proprios amicos, videtur habere impunitam

punitam libertatem : & transfugiendi ad hostes , proditis Ducis occasionem.

Non immerito ergò ob singularem annonæ providentiam Alexander Severus Imperator maximè laudatur, qui teste Lampri-
dio aliquando dixit, *Se malle servare milites, quam se ipsum : quod in his publica salus esset sita : facilius enim esse novum invenire Imperatorem, quam novum & exercitatum militem.*

Verum ne nimis longè hic immorari videar, placet deniq; de conjunctione Fœderum aliquid differere. Quàm verò utile quamq; necessarium & salutare requisitum in expeditionis bellicis illa sit, omnibus proculdubio, qui in Politicorum hortis ex spatiati fuerunt, probè cognitum erit: Confirmant enim & augent tum gloriam tum potentiam auxilia & fœdera: nulla his ratione meliori vel potentissimis hostibus occurri potest; ipsa deniq; natura eadem nobis commendat: cum duplicibus manibus, geminis oculis omne melius atq; perfectius peragatur.

Socie

Societates, quas homines negotiandi causa inire solent, nonne suadet utilitas? cum enim certum sit, diversas à naturâ singulis assignari dotes, hinc fit, ut quod quisq; suâ industriâ consequi non potest, socium sibi quærat, cujus operâ adjutus communicatis utrinq; consiliis, collatisq; opibus, quid est, quod non sibi pollicentur?

Quantò magis ea utilitas apparet in conjunctione Principum ac Rerumpublicarum: hujus namq; fructum integra Regna, integræ Provinciæ percipiunt.

Nec ullibi vis Fœderis tam conspicua est, quam in defensione contra eos, qui nimiam potentiâ in superbiam elati, ad injurias tenuiorum facilè prolabantur, eorumq; & libertatem & opes evertere conantur.

Quales olim fuere Darius & Xerxes Persarum Reges, quorum ille validissimum exercitum contra Athenienses eduxit: hic autem cum decies centum millibus totidemq; navibus Græciam obruit, ut non immeritò

D

prodi-

proditum sit, flumina ab ejus exercitu sic-
cata, Græciamq; omnem vix capere exerci-
tum ejus potuisse. Quod aliud remedium
contra tantam potentiam, nisi ex foedere?
Civitates enim Græciæ conjunctis viribus
Patriam defendere statuerant, quibus ex
hac conjunctione tantum fiduciæ, tan-
tumq; virtutis accessit, ut non minus Darii
exercitum in campis Marathonis, quam
Xerxis ingentes illas copias fregerint, Per-
sasq; intra biennium quatuor præliis victos
totâ græciâ expulerint.

Primùm enim terrâ ad Thermopylas vi-
cti sunt; Deinde mari duobus præliis ad Ar-
themysium & ad Salaminem. Quartò ad Pla-
teas, cum post fugam Xerxis Mardonius in
Græciâ mansisset. Sed ut de aliis nihil dicam,
quàm memorabilis illa pugna ad Thermo-
pylas fuit? Ibi enim cum exercitus exiguus
custodiret fauces, trecenti Lacedæmonii,
quadringenti Thebani, & ex aliis locis Græ-
ciæ circiter tria millia. Hic parvus sociorum
nume-

numerus ingentibus illis hostium copiis oppositus trucidavit viginti millia in exercitu Xerxis. Factum pænè incredibile, nisi quoq; Germania ad Basileam tempore Synodi, à 3000. Helvetiorum millia hominum viginti in Gallico exercitu trucidata vidisset. Nec mirum Xerxi tantum exercitum fuisse, cum Tamerlanes Scythia tempore Bajazetis Turcæ, quatuordecimcenta millia equitum, & sexcenta millia peditum, qui numerus adæquat Xerxis copias, duxerit.

Habent sanè Foedera multas alias quoq; utilitates. Nam nulla ferè regio tam ferax est, ut omnibus abundet. Quædam enim gentes classe valent, alibi præstant equites, alibi pedites commendantur. Hi si ex diversis nationibus, prout quæq; excellit, adjungantur, si apparatus & alia necessaria diversæ provinciæ suppeditent, quid oberit, quò minus res magni momenti & suscipiantur, & conficiantur feliciter? Tale illud memo-

D 2

rabile

rabile foedus fuit Helvetiorum, qui in ita inter se Societate, eaq; arctissimis foederum legibus devincta, non tantum in libertatem sese vindicarunt, verum etiam post multis praclaris exemplis, quid foedera possint ostenderunt. Leopoldus tertius Austriacus magna strage ab iis victus ad Sempachium cecidit. Carolus Burgundus fortissimus ille Heros ad Gransonem foedus ac stratus, & castris exutus, amissus impendiis, totiusq; exercitus opibus, & pretiosa sua suppellectile vix ex insequentium manibus sese eripuit. Paulo post iterum ad Moratum oppidum in confinio Allebrogum acie ab iisdem victus, cum tertio reduxisset exercitum, ad Hancenum in ipsa obsidione ab Helvetiis circumventus ac trucidatus interiit.

In silentii castris jacere jam patiar memorabilem conjunctionem Principum Christianorum, qui Duce Gothofredo Bullionæo expeditionem in Asiam susceperunt,
Tur-

carum potentiam infregerunt, & revocatâ religione Christianâ regnum Hierosolymis pulsus inde Saracenis constituerunt.

Possent hoc loco latius evagari, fœderumq; ineffabilia commoda ulteriore vivorum & adhuc quasi spirantium exemplorum vadimonio copiosius confirmare, propugnare ac illustrare, nisi ratio brevitatis admoneret.

Quam malè & periculosè vero Principes contra sibi & subditis suis consulant, si Neutralitati favent, id experientia præstantissimorum omnis ævi Virorum firmo testatur suffragio.

Certè enim periculum quod neutralitate declinare nolunt, plerunq; incurrunt, & tandem certa fiunt Victoriis præda.

Bodin. lib. 1. de Repub. cap. 6. pag 919

Et hoc satis prudenter affirmat Petrus Gregorius Tolofanus cum ita inquit:

Neutram partem qui sequuntur exponuntur præda & injuriis utriusq; Partis aut factionis: & rursus concordantibus utriusq; factionis partibus, sunt utriq; parti odio, inimici omnibus tanquam qui illorum malis latentur. Quod etiam his accidit, qui pugnantibus vicinis, spectatores tantum sunt: & neutras

Lib. 23. de Repub. c. 4. pag. 1438.

sequuntur partes. Siquidem fœdere factō inter dissidentes, isti non comprehenduntur : & ita præda relinquuntur : vel si ab aliis invadantur : sine auxilio relinquuntur.

Hæc jam quæ dicta, exemplis facile possunt corroborari : Aspiciamus Ludovicum undecimum, qui quamdiu nullius Principis aut populi Societatibus se implicare voluit : sævissimis hostium incursionibus oppressus est. Cum verò Societatem cum Helvetiorum populis contraxisset : nulli deinceps in ejus Imperii fines invaserunt: ipsiq; Helvetii vicissim tutius beatusq; vixerunt.

Ita Cives Laidarum repentino bello ac servitute oppressi fuerunt : propterea quod nec Principem, nec ullam cum finitimis amicitiam aut societatem contraxissent.

Verum in contrahendis fœderibus cautio diligens adhibeatur, summè necessarium est ; ne caducum, quod ajunt, parietem inclinemus. Spectemus quales erga alios extiterint, quorum auxiliis ac Societatibus uti cupimus:

cupimus: perpendamus an, *Utiles & viribus & oportunitate esse possint.* Longè enim à nobis se-
juncti amici, secundum tritum illud, non
sunt amici, & *Fæderationem & communicationem per in-
terjecta loco diversa interturbari* notat prudentissi-
mus Vir multarum scientiarum, Arias Mon-
tanus.

Lips. Lib.
4. cap. 9.

Lib. 1. Jud
cap. 1.

Consideremus deniq; ne cum illis con-
trahantur fœdera, qui propriam quærunt
utilitatem, quiq; ea consilia dant, quæ suis
rebus profutura esse censent, ita arte com-
posita ut communem causam respicere vi-
deantur.

Qualia fuerunt pleraq; fœdera, Princi-
pum & Rerumpublicarum, cum Carolus
8. Ludovicus & Franciscus in Italia bella ge-
rerent.

Memorable vero omnium est illud fœ-
dus Cameracense, initum contra Venetos.
Ibi quot quot Confœderatorum erant, qui-
libet diversam causam ab aliis habebat, in id
solum


solum intentus, ut sua consequeretur, bellum relinqueret sociis.

Verum quid ago ? Quo me flumen Orationis rapit ? Possem in hunc spatiosissimum Orationis campum latius quidem exspatiari, sed ne abutar benignitatis ac favoris vestri aura, meaqué Orationis navicula ad portum quem sibi proposuit adpellat felicissimè, subsistat letissimè, Carbasia mea deducam, & ad portum pleno contendam passu.

Vobis vero Auditores omnium Ordinum præstantissimi, honoratissimi quod mihi vacivas aurium vestrarum ædes non sine insigni favoris & propensionis indicina attribuere, volueritis, gratias ago quas possum maximas.

*Dum memor ipse mei dum Spiritus hos regit artus,
Officij aeternum debitor huius ero.*

D I X I.



Elendús Contentorúm.
Acta colloquiorúm Swalbacensium.

D. Hæ Calvinistarúm vera, viva, & genuína descriptio, eiq; solida & invicta assertio
adversús calumniosissimúm libellúm D. Lud. Cocci Pfes. Bremensis.

epd: Disfert: Theologica Antisporiatariana, sicut beati angeli, & celites, deum in sua
centria, quales e pfecte cognoscant.

n. Abrahami Heinzeii Oratioes duæ. 1. De varietate religionúm jam inde i
mundo condito ad hæc usq; nra tempora, tum quib; de veritate extende agit.
2. de Sapientia omnia operante.

Joan: Christianiã Doland Oratio de necessariis belli regis.

7. Matthe: Hoc auct. die unllieft von dem Calvinisten auctoren angela Declination
ad Latine abis, & puzfabryen opas, deutliche u. vollständige Libellung
utlichte fime uolmigt uibgangenen dhr. Hrs, Notwendige u.
Hilffung, in uel ducht u. Darlegung u. Dacibus gualt, u. uia fathig
u. die uis uugradu des Calvinists Buch sig dinsten u.


epd: Die geystliche uerba uia die Calvinists in 99 punctis mit des
Gemein, und Tische uberein stimmen.

Castarai distinctiones.

ULB Halle 3
005 129 230


V3 17





Farbkarte #13

B.I.G.

IO
ARIIS
EQVI-

Universitate

CRISTIANO

XII.

*statu licet retinere pacem. Sin
re, aut pericula adire liberta-
est is, qui fugit pericula, quam*

HI,
SCHERFFII,
graphi

